



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

XV. De Apostasia Stetinensiu, & quomodo Episcopus illuc ire volens,  
prohibitus sit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

De Apostasia Stetinenſium, & quo modo  
Episcopus illuc ire volens prohibi-  
tus ſit.

## CAPVT XV.

Sefridus.

Clerici obſtāt,  
ne Episcopus  
Stetini abeat.

Quibus obſiſtit  
S. Otho.



Episcopus verò ad Stetinam iter proposuit cum ministris suis de Apostasia nequitia in spiritu vehementi arguere superbos: Sed Clerici, qui cum ipso ituri erant, Stetinenſes barbaros, & crudeles agnoscentes, suæ pariter & illius saluti metuebant. Unde, ne illuc veniat, adhortantur studiosus: cumque illi molesti essent: Video, ait, tantum ad delicias venimus: qui quid asperum vel difficile occurrit, totum declinandum iudicamus. Sed, esto. nam ad gloriam martyrij sicut nullum cogere volo, ita, si posse fieri, omnes vos hortari vellem. Rogo autem, si iuuare non vultis, saltem ne me impediatis: sue vitæ potestatem habet unusquisque. Liberi estis vos; liber & ego. Dimittite me mihi obsecro. Et eiecitis omnibus, sese in cubili suo usque ad Vesperam in orationem dedit.

S. Otho clam se  
subducit, &  
Stetini abeat.

Deinde vocat puerum familiarem, præcipiens, vt clausis vndique ostiis, à se omnes dimoueat, nullumque admittat sine ipsius conscientia. Quo facto, secreti sui compos fugam meditatur: itineralia induitur; succingitur; indumenta sua sacerdotalia cum libro, calice aliisque utensilibus in mantica ponens, omnia in humeros leuat, tectusque vmbra noctis, clam nescientibus cunctis, in comitatus urbem egreditur, viam capiens, quæ vergit Stetinam. Cumque adspexisset huc atque illuc, & nullum se comitari videret, lætus & alacer de prosperitate furti, Deum benedicens, matutinale inchoat officium, gliscens & prosperans totum iter nocte illa complere; cumque nocturnus viator viam ardentem carperet, hora noctis decima iam instabat; Clerici autem è diuersis stratis consurgentes, cum ad dicendas matutinas se colligerent, quidam ex eis, suspensio gradu, ad cubiculum pergunt Episcopi, verum dormiat, an inuigilet, vel quid agat, explorare cupientes. Verum ubi propius

propius propiusque admoti Episcopum non inveniunt, con-  
sternati sunt animo, & diligenter omnia scrutantes, cubi-  
cium ipsum & alios, qui iuxta erant, crebro sciscitantes, quod  
factum fuerat, tandem ediscunt. Quid multis? Turbantur  
omnes, aliique pedibus, alij verò adscensis equis huc illucq;  
Pontificem quæsituri discurrunt; factoque mane, hi qui in e-  
quis fuerant, directo colle ac concito gradu, versus mare, viam  
insequuntur abeuntis, & abeuntem consequuntur.

*Clerici clande-  
stinum absum-  
s: Othonis de-  
prehendunt.*

*Insequuntur  
clerici fugien-  
tem Episcopum.*

At ille, vbi eminus venientes iam intraturus naues agno-  
uit, turbatus est valde, & altius ingemiscens, heu, inquit, Do-  
mine Iesu, vnice Dei, vnice Virginis, dulce nomen spei meæ,  
nunquid me fraudabis à desiderio meo? fac oro, vt hi, qui  
veniunt, aut mecum eant, aut me à proposito meo non impe-  
diant. His dictis, illi accurrebant, moxque ab equis desili-  
entes, pedibus illius prosternuntur. Sed quid? prosternitur  
& ipse: leuant illi; leuat & ipse: flebant; flebat & ipse; vocem-  
que mæror & tristitia, & his & huic diutissimè interclusit.  
Tandem post multas lacrymas in hanc vocem senior mæstus  
erupit; ad quid venistis? redite, quaeso, ad hospitium: & ego pergam  
viam, quam cœpi. At illi; absit, inquiunt, sufficit nobis hæc tam grandis  
confusio. amodò te nequaquam descremus: si redire vis, latè redibimus te-  
cum; sin autem progredi mauis, tecum progrediemur. Sed placeat sancti-  
tati tue consilium nostrum. Redeamus pariter ad fratres, & ad pueros  
nostros hodie: cras, ecce, coram Deo loquimur, siue in vitam, siue in mor-  
tem tecum veniemus.

*Assequuntur.*

*Quomodo tandem illuc peruenerit, & qua  
pericula illic inuenerit.*

## CAPVT XVI.



Ali ergò pacto Episcopus cum eis reuersus, cra-  
stina die, omnibus se comirâtibus, eandem viam  
ingreditur, adscensaque nauì, prosperis flatibus  
Stetinam vesti sumus. Homines de ciuitate inter  
se di-

*scidus.  
Edit. Canif.  
cap. 12.  
S. Otto Steti-  
nam reuertit-  
se di-  
tur.*